



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

Definitio III. Historia est narratio rerum, quae jam contigerant eo tempore,
quo Historia illa scripta est.

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

DEFINITIONES.

Quod in principio facere Geometrae solent, ut rerum de quibus sunt acturi notitiam definiendo aperiant & circumscribant; deinde ut concedi sibi postulent nonnulla, quae ab omnibus conceduntur vulgo; nec sine injuria negari posse putant; tum ut manifesta quaedam & confessa omnibus effata proponant; idem mihi faciendum est; ut ordine procedat nostra Demonstratio, & concludatur *ἔπισημειώσεις*. Principium ergo ducamus à Definitionibus, quarum prima haec esto:

DEFINITIO I.

Liber genuinus is est, qui ab eo auctore scriptus est, à quo scriptus esse dicitur, & eo circiter tempore, quo scriptus esse fertur.

*Explicatur
prima Definitio.*

I. Herodoti puta historiam, genuinum librum dicimus, quod & Herodotum; cujus nomine inscripta est, auctorem habeat; & iis circiter lucubrata sit temporibus, quibus lucubrata esse fertur. Quamvis enim Pamphila, ex cujus verbis aetas Herodoti intelligitur, initio belli Peloponnesiaci tres & quinquaginta annos, non natum eum esse, sed natum videri dixerit, neque satis constet quo aetatis suae anno Historiam scripserit; quia tamen paucorum annorum controversia est, non idcirco è genuinarum scriptionum serie expungitur. Quod si Constantini temporibus confictum fuisset hoc opus, uti Jacobo Gauterio persuasum fuit, in genuinorum censum neutiquam admitteremus. Altera haec est Definitio:

DEFINITIO II.

Liber coetaneus is est, qui eo circiter tempore scriptus est, quo res in eo scriptae contigerunt.

*Explicatur
secunda Definitio.
Lamprid. in
Alex. Sev.
cap. 29.
Veit. Flacc.
de verb. sign.
libr. 4. apud
Gell. libr. 5.
cap. 18.*

I. Hujus generis est Thucydides historia, quippe quae ea narret, quibus Thucydides ipse interfuit. Talis est & Xenophontis liber De expeditione Cyri, quo ea habentur, quibus Xenophon ipse praefuit. Auctores hujusmodi Lampridius *Scriptores suorum temporum* appellat. Docet autem Verrius Flaccus earum proprie rerum esse Historiam, quibus rebus gerendis interfuerit is qui narret. Quae tamen Historiae Definitione omissa, illam damus:

DEFINITIO III.

Historia est narratio rerum, quae jam contigerant eo tempore, quo Historia illa scripta est.

*Explicatur
tertia Definitio.*

I. Dixissem paucioribus verbis vulgus Grammaticorum secutus, Historia est narratio rei gestae: sed cum Prophetia itidem, qua Hierosolymitanum excidium praedicitur, sit narratio rei gestae, & gestae quidem à multis annis, jamdiu enim excisa sunt Hierosolyma, vitiosa fuit ambiguitas, ut intelligeret Lector jam tum rem fuisse gestam, non modo cum haec quam definimus legeretur historia, sed etiam cum scriberetur, atque ita Historia distingueretur à Prophetia, cujus quarto loco Definitionem pono his verbis:

DEFINITIO IV.

Prophetia est narratio rerum futurarum, quae nondum contigerant eo tempore quo Prophetia illa edita est, quaeque ex naturalibus causis praevideri non possunt.

*Explicatur
quarta Definitio.*

I. Nam est etiam praeteritorum & praesentium Prophetia: *Prophetiza nobis, Christe, quis est qui te percussit?* aiebat impius Satelles, postquam colapho Jesum ceciderat. Sic